

per illorum incolarum bonis, dum omnia sunt emphyteotica, & de directo domicilio eiusdem Abbatiæ, atque ad ipsum Abbatem seu Commendatarium pertinet deputare Iudices in omnibus instantijs; Et quando agitur de causis grauibus, deputare solet vnum ex Rotæ Auditoribus, vnde propterea illæ causæ, quas in Rota disputatas esse probant quamplures decisiones Farfenses, quas in ista emphyteotica materia habemus, ex istius Abbatis vel commendatarij deputatione cognoscuntur. D; Vt etiam proportionabiliter contingit in plerisque alijs Abbatijs, quæ sunt nullius, & in quibus Cardinales eandem habent iurisdictionem & potestatem, vt præsertim sunt, Abbatia Pontiani, & Sancti Aedicti, ac etiam Sublaci, & similes, quoniam ob residentiam, quam Abbates, vel Commendatarij habent in Vrbe, ita tot Tribunalium figuram faciunt videntur.

Prout etiam de facto eandem figuram facere videntur aliqui Barones & Magnates, qui castra, & loca iurisdictionalia habent, dum, cum benè regulato ordine, retinent Auditores, aliosque ministros, atque statutis cuiuslibet mensis vel hebdomadæ diebus tenent Congregationes, in quibus audiuntur vassallorum recursus, & quærelæ, aduersus grauamina, quæ à Gubernatoribus alijsque inferioribus Iudicibus inferantur, quod commendabilem introductionem, & vsum redolet.

D. tit. de feud. disc. 52. & tit. de emphyteus. disc. 8. & in supplemento.



De Cardinalibus Protectoribus plurimum piorum locorum, Et de Iudicibus, qui per eos deputantur; Ac etiam Protectoribus, et de Generalibus Religionum.

## S V M M A R I V M

- 1 **Q**uod in Vrbe adsint multa pia loca cum Iudicibus particularibus.
- 2 De Iudice Montis pietatis.
- 3 De Iudice Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia.
- 4 De alijs Hospitalibus habentibus iudices particulares.
- 5 De Iudice Societatis Annuntiatae.
- 6 De illo Hospitalis Sancti Sixti.
- 7 De illo Neophitorum.
- 8 De iudicibus aliquorum Conseruatoriorum, vel Monasteriorum.
- 9 De Protectore Almae Urbis Lauretanae.
- 10 De Protectoribus Cappellarum Sixtinae, & Paulinae.
- 11 De Protectoribus Religionum.
- 12 De Generalibus Religionum.
- 13 De Iudice Monasterij Conuertitarum Urbis.

## DISC. XLII.

**Q**uamplura pia loca, ex Apostolicis indultis reguntur sub protectione Cardinalium, vel sub administratione Prælatorum, cum plena iurisdictione in ijs, quæ ad ipsa loca, eorumque personas, & bona, pertinent, adeo ut tot Tribunalium speciem seu figuram constitutere videantur, cum Iudicibus ac Notarijs, quæ omnia difficile est singillatim, ac distinctè recensere; Tum ob deficientem notitiam; Tum etiam quia nimiam euagationem, ab aliquo tædio non immunem, id pareret; Quare agendo de notabilioribus.

Huius naturæ est, præsertim Mons pietatis, qui circa æconomica regitur per nobilium sæcularium Congregationem, cum præsentia vnius Prælati, qui pro moderna praxi, esse solet Thesaurarius generalis, atque habet Cardinalem protectorem, qui deputat iudicem aliquem Præla-

Prælatum, & frequentius aliquem Rotæ Auditorem, cum cognitione causarum pertinentium ad eundem Montem; Et præsertim super modo soluendi illas pecunias, quæ in eius banco deponantur, sub aliquo vinculo, vel conditione; Siue ubi, delunctis ijs, qui deposita fecerunt, contingat solui debere hæredibus vel alijs, in quos dispositum fuerit; Vel an mandata iudicum ordinariorum super consignatione pecuniarum exequi debeant; Idemque respectu pignorum ac aliarum contingentiarum; Nec non respectu ministrorum & operariorum eiusdem Montis, tam circa administrationem banci, quam etiam circa custodiam pignorum. A

Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, quod administratur per aliquos Religiosos illius ordinis, qui figuram faciunt clericorum sæcularium, cum signo cuiusdam crucis albæ in pectore, sub maiori præsentia & administratione Prælati, qui Perceptoris nomen seu titulum habet, quoniam suum habet iudicem particularem, qui est Prælatus, & frequenter Rotæ Auditor, cum iurisdictione in causis ministrorum, & seruentium, aliorumque officialium, ac etiam bonorum iuxta facultates contentas in Apostolicis indultis, circa quas generaliter respectu omnium aliorum locorum certa regula statui non potest cum diuersas habeant circumstantias pro indultorum diuersis tenoribus. B.

Idemque habetur in plerisque alijs Hospitalibus, nempe; Sancti Iacobi Incurabilium; Sanctissimæ Trinitatis peregrinorum & conualescentium; S. Rocchi; Saluatoris; Consolationis, & aliorum in quibus, & præsertim in tribus prioribus, adfunt iudices, qui esse solent etiam Prælati.

Particularem quoque iudicem deputatum à suo Cardinali Protectore, cum magna audientia, & figura Tribunalis, ha-

bet insignis Archiconfraternitas Annuntiata, ob continuas controuersias quæ contingunt, occasione dotium, quas ipsa in tam magno numero distribuit pauperibus puellis, iuxta ea quæ, super civilibus quæstionibus, in dotali materia insinuatur C; Ac etiam super earundem dotium conseruatione, vel assecratione, aduersus creditores ipsarum puellarum, quod etiam contingit in plerisque alijs pijs Societatis simile institutum proficietibus; Nempè (ex gr.) Confalonis; S. Hieronymi Charitatis; Crucifixi; Beatæ Mariæ de Planctu; Beatæ Mariæ de Monte Carmelo; Rosarij, cum plerisque alijs in magno numero.

Considerabilis videtur iurisdictione Cardinalis Protectoris Hospitalis Senum, sub inuocatione S. Sixti, quod à Sixto Quinto erectum fuit, dum duplicem deputat iudicem, vnum scilicet civilem, & alterum criminalem, cum iurisdictione in vniuerso Statu ecclesiastico, singulisque locis, in ijs quæ concernant bullum alearum lusoriarum, quod ex Apostolica concessione, eiusdem Pontificis Sixti obtinet, quoniam ita huic foro priuatiuè, cum exemptione ab alijs, subiacent, Appaltatores, ac subappaltatores, Commissarij, & alij ministri circa ministerium huiusmodi alearum, aliquibus prouincijs, vel Ciuitatibus exceptis, vt in Regalium sede pluries insinuatur D; Ac etiã in Vrbe & locis adiacentibus aliquam habet iurisdictionem super ijs quæ concernunt consimilem gabellam, quam ex eiusdem Pontificis concessione possidet, super lignis, tam combustilibus, quam fabrilibus, siue per Flumen, siue per terram, introducuntur, & super quibusdam alijs speciebus, quæ per eiusdem fluminis navigationem introducuntur, vt in eadem Regalium sede habetur mentio, & sic est quædam iurisdictione, quæ latius patet, dum restricta non est ad solas personas loco pio

A. de hoc Monte pietatis Vrbs eiusque regimine & iudice habetur sub tit. de tutor. & administrator. disc. 15. tit. de credito disc. 68. de testam. disc. 40. tit. de Miscellan. Ecclesiast. disc. 36.

B. de quæstionibus disputatis coram isto iudice habetur tit. de locat. & conduct. disc. 50. tit. de fideicommiss. & alibi.

C. tit. de dote disc. 7. & seq.

D. tit. de Regal. disc. 79. 80.

pio additas siue ad sola bona differentia quæ ab ipsis possideantur, vt in alijs contingit. D.

Prout etiam alicuius latitudinis, & præsertim cum populo Hæbreorum, viuentem in Vrbe, alijsque partibus Status Ecclesiastici, est iurisdictione Cardinalis Protectoris Collegij Neophytorum, dum ultra illam, quam habet cum personis in eo collegio viuētibus, eiusque seruentibus ac ministris, & in ijs, quæ concernunt bona, & iura ab eo possessa, iurisdictionem habet cum dictis Hæbreis in illis, quæ concernunt personas eorum, qui ad Christianam fidem conuersi sunt, ac circa bona & iura ad eos pertinētia, quæ cum alijs Hæbreis possideantur, siue ex successione in eos obueniant; Vel quod eos neophytos à pio proposito auertere satagant.

Item multa similia adfunt loca pia, & Monialium seu puellarum Monasteria, & Conseruatoria, quæ ex Apostolico indulto suos habent Protectores, à quibus Iudices particulares deputantur, cum simili cognitione, seu iurisdictione priuatiua; Vt sunt (ex gr.) Hospitale amentium; Collegium orphanorum; Conseruatoria puellarum SS. Quatuor & S. Euphemie; Monasterium Sanctæ Susannæ; Ac etiam Academia Pictorum complexiua plurium exercitiorum, quæ tendant in idem vel approximent, vt in Regalium sede aduertitur E; Et pleraque alia, quæ forsitan tædiosum esset minutatim reassumere.

Collegium Germanicum est sub protectione quatuor Cardinalium, atque habet suum iudicem particularem priuatiuè, cum amplis facultatibus, aliaque similia adfunt.

Nimium ampla, & considerabilis iurisdictione, omnibus præmissis maior, in prouincia tamen Marchie, alijsque locis adiacentibus, potius quam in Curia, est illa Cardinalis Protectoris Almæ Domus Lauretanæ; Et de qua particulariter agitur in rerum iurisdictionalium sede, ubi videri poterit. F.

Ibique etiam agitur de iurisdictione Cardinalium Protectorum duarum insi-

gnium cappellarum existentium in Basilica Sanctæ Mariæ maioris, Sixtinæ scilicet, & Paulinæ, adeo ut sub quæstione sit, an constituent territorium separatū ab ipsa Basilica ex ibi deductis G; cum plerisque similibus protectionibus quæ sunt in usu.

Quamuis enim regula sit, quod protectio non tribuit iurisdictionem, vel fori competentiam; Attamen illa ex Apostolicis indultis recipit limitationem, quæ varia est, pro ipsorum indultorum maiori, vel minori amplitudine, ideoque certa regula desuper statui non potest.

Adfunt quoque Cardinales Protectores Religionum, quibus quædam iurisdictione, quamuis non contentiosa, sed eo more, qui inter Religiosos adhibendus est, competit, atque eius exercitium, solet esse, maius, & minus, pro ipsorum Protectorum genio, vel stylo, super religionum recursibus aduersus superiores; Aliqui etenim consuetudinem habere solent se ingerendi in omnibus, etiam minutis, gerendo potius partes superiorum, ac Prælatorum localium; Alij verò (& commendabilibus) gerunt partes Protectoris, protegendo scilicet Religionem, eiusque iura, & priuilegia tuendo, ac etiã in grauibus occurrentijs inuigilando, cum regulis prudentialibus potius, quam cum iurisdictionalibus, nè subditi à superioribus opprimantur; Ac etiam vt illis occurratur inconuenientibus, quæ Religioni in vniuersum præiudicare possunt.

Quandam Tribunalium speciem constituere seu figuram facere videntur, in forma tamen magis extraiudiciali, & non contentiosa, superiores Generales Religionum, qui pro magna parte resident in Curia, apud Pontificem, cognoscendo, & decidendo controuersias, quæ inter Religiosos occurrant, & quorum plerique à Prouincialibus, vel localibus superioribus, se oppressos opinantes, ad Generalem recurrere solent, eiusque conspectui se præsentare, siue coram eo se constituere, quandoque se constituendo formiter in carcere, adeo ut, transportato processu, adhibeatur formalis cognitio causæ.

P. 2. Relat. E c Fre.

D. de isto hospitali dictisq; appaltibus tit. de Regal. disc. 79. & duob. seqq. & alibi.

E. tit. de Regal. disc. 99.

F. tit. de iurisdit. disc. 33.

G. tit. de iurisdit. disc. 35. & 19.

Frequentiores autem disputationes, etiam forensi more, cum Aduocatis, & Procuratoribus, ac Assessoribus respectiue, haberi solent occasione electionum, quæ in partibus sequantur, superiorum Prælatorum prouincialium, & localium, quæ ipsius Generalis confirmationem de necessitate exigunt, vnde propterea electio non sit pacifica, ideoque pro frequentiori praxi illa factionaria minor pars quæ succubuit eâ, impugnare solet, vt infirmenda potius quàm confirmanda sit, huiusmodi disputationes assumendo coram Generali, priusquam adeatur Sacra Congregatio Regularium, vt de ipsa agendo superius insinuatum est; Idque præsertim pro frequentiori praxi contingere solet in Religionibus S. Dominici, & Minorum Observantium, vt in rerum regularium sede advertitur. H.

Monasterium Mulierum Pænitentium, quæ vulgò Conuertitæ nuncupantur, suum habet Iudicem cum Notario, & fiscali alijsque ministris super necessaria successione illarum mulierum quæ vitam inhonestam ducunt iuxta ea, quæ in sede testamentorum, & alibi insinuantur. I.

H. tit. de Regular. disc. 10 & seqq.

I. tit. de testament. disc. 37.



De foro militari, siue de iurisdictione Generalis Ducis S. Romanæ Ecclesiæ; Ac etiam Ducis trirremium; Et Custodis Arcis Adrianæ vel S. Angeli; Et Commissarij armorum.

#### S V M M A R I V M

- 1 **Q**uare Papa retineat Milites, & adhibeat arma.
- 2 De Capitaneo generali militiae terrestris.
- 3 De illo trirremium.

- 4 De Castellano S. Angeli.
- 5 De Prælato commissario armorum.
- 6 De iurisdictione ducum, & de foro militari.
- 7 De eodem Castellano S. Angeli.
- 8 De Curia Burgi.
- 9 De Curia Mercalli, vel Sabellorum.
- 10 In quo differant milites Papæ ab alijs militibus.

#### D I S C. XLIII.

**Q**uamuis Summus Pontifex, sit Princeps ecclesiasticus, & pacificus, qui ab armorum usu, quò magis fieri potest, abstinet, quoniam Ecclesia Dei non est gubernanda more castrorum, atque armæ clericorum sunt, vel esse debent, orationes, lacrymæ, & ieiunia, ideoque præcipuum Pontificis munus, in eo versetur, vt alios Principes Christianos, in pace conseruet, atque bella inter eos componat; At tamen cum sit etiam Princeps temporalis Ditionis Ecclesiæ, quæ ex notabili Italiæ parte constituta est, vltra ditionem Status Auenionensis, & Comitatus Venaisini; Hinc proinde cogitur (quamuis inuitus) milites, eorumque Duces habere; Tum ad coercendos subditos inobedientes, & potentes; Tum etiam pro defensione, ab hostibus fidei Ecclesiæ, & ab alijs, qui principatus quietem turbare vellent.

- Habet itaque more aliorum principatum, Ducem Generalem vniuersæ militiæ terrestris; Tam scilicet illius, quæ in singulis locis ex illa populi parte, quæ huic ministerio, magis apta sit, & qui milites vulgò de militia dicuntur; Quamque eorum qui in arcibus retineantur, qui dicuntur præsidarij; Ac etiam eorum qui pro extraordinarijs indigentijs conductantur, ac retineantur, vulgò de leua, nec non militum pro custodia ipsius Papæ.
- 3 Alium quoque habet Ducem generalem classis maritimæ trirremium, cui, iuxta varios Pontificum stylos, committi etiam solet custodia locorum maritimarum, cum id tendere videatur ad eundem finem, ob quem ista classis triremiū retinetur, occurrendi scilicet incursionibus infidelium, & pyratarum; Aliumque
  - 4 habet qualificatum militare ministerium seu